

UNIVERSIS & Singulis Orbis
Christiani Serenissimis & Potentissimis
Regibus, Rebuspublicis, Sacri Romani Imperij
Electoribus, Principibus, ac quibusvis præfati Sacri Romani
Imperij, ac quorumvis Regnorum & Provinciarum Inclytis
Statibus & Ordinibus, ad quos, vel quorum notitiam præ-
sentes quocunquè modo pervenerint.

NOS PAULUS DEI Gratiâ Sacri Romani

Imperij Princeps Estoras de Galantha, Perpetuus
 Comes in Frakno, Regni Hungariæ Palatinus, Judex Cumano-
 rum, aurei Velleris Eques, Comitatuum Soproniensis, Mossoniensis, Pest,
 Pilis & Soldt, supremus Comes, Partium prætacti Regni Hungariæ Trans-
 Danubianarum, & Confiniorum Antemontanorum supremus Generalis Ca-
 pitaneus, Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis Camerarius, & Consiliarius
 Intimus, ac per antelatum Regnum Hungariæ Locumtenens, Principali-
 ter proprio, ac ex mutua reliquorum Dominorum Prælatorum, Baronum,
 Magnatum, Nobilium, & Civium, adeoque quatuor præfati Regni Hun-
 gariæ Statuum & Ordinum, in debita legitimi Regis, & Domini, Domini
 nostri Clementissimi fidelitate persistentium Cointelligentia, voluntate &
 consensu, eorundem quoque nominibus: Notum facimus & manifestum.

Quòd licet occasione intestinorum in præfato Regno Hungariæ adhuc-
 dum vigentium calamitosorum motuum, & pernitiosarum contra Regiam
 Majestatem per nonnullos concitatarum Factionum, & Seditionum, non-
 solum Serenissimum gloriose recordationis Principem, Dominum LEO-
 POLDUM Romanorum Imperatorem, ac Germaniæ, Hungariæ, &c.
 Regem &c. dum adhuc in humanis ageret, verùm Serenissimum etiam ejus-
 dem Primogenitum & Successorem Dominum, Dominum JOSEPHUM
 DEI Gratiâ Romanorum Imperatorem, ac Germaniæ, Hungariæ, &c.
 æquè Regem, Dominum quippè nostrum Clementissimum, quem in Anno
 adhuc 1687. sub Generali Regni Hungariæ Statuum & Ordinum Diæta,
 communibus & liberis nostris, ac cœterorum (nemine excepto) Regni-
 colarum ad ipsam Diætam convocari solitorum, ac ibidem sive propria-
 sua in persona, sive medio Ablegatorum suorum comparentium, & præsen-
 tium votis, in Regiam hujus Regni Hungariæ Dignitatem sublimatum, & de-
 bitò etiam modò coronatum, recognoscimus & veneramur, initiò statim felici-
 cis regiminis sui, quod post funesta prænominati condam Genitoris, &
 gloriofi Prædecessoris sui fata, eo factò adeptus est, omnem omnino sol-
 licitudinem, & primas regnandi curas eo impendisse, nobis intimè con-
 stet, ac toti orbi Christiano ex Anteactis constare posse nulli dubitemus,
 quò nimirùm Regnum hoc Hungariæ, inquietorum Patriæ Filiorum fa-
 tionibus turbatum, divulsum, & dilaceratum, ad optatum Tranquillitatis
 & securæ permanisionis statum reponere potuisset, Eumque in finem, ob-

A

latis



latis benignissimis Amnystialibus Patentibus & Assecutorijs, universis à debita fidelitate devijs gratiæ & benignitatis suæ sinum adaperiens, eosdemque sibi reconciliandos paterno affectu, excipere cupiens, pari, & solenni modo, quô altefatæ suæ Majestatis Divus condam præfatus Genitor, Serenissimæ Magnæ Britanniæ Reginæ, & præpotentum Dominorum Fœderati Belgij Ordinum Mediatorijs Officijs semet uti velle clementer declarâsset. Ac insuper ad contestandam propensam in procuranda præfati Regni hujus quiete, Regij animi sui sinceritatem, omni vindictæ desumendæ studio posthabito, ad ineundum etiam Pacificationis Tractatum clementer & æquanimiter condescendit, ac ad Postulata Tumultuantium legibus Regni conformem, ac Majestati quoque suæ Regiæ congruam Resolutionem benignè sit impertita, ulterioremq; superindè ipso-
 rum Replicam, quam transmittere, ruptum eotùm Armistitium & temporis defectum, ac sui & suorum circà bellica occupationem causantes, in hodiernum usque diem omiserunt, cùm tamen ad Conventiculorum Celebrationes, ac sub ijs, ad quævis injusta & illegalia, uti jam proditum est, molimina, nec non ad concinnandas, & sub fictitio nomine evulgandas scripturas sufficiens tempus habuissent, quô satiùs in confienda Replica laborare & tantæ Christiani innocentis sanguinis effusioni occasio-
 nem antevertere debuissent, avidè præstolata fuisset, ac in eo casu ad dan-
 dam ulteriore eorum Resolutionem benignè propendisset, & ex hinc paci-
 ficationem coalituram, reddendam Regno quietem, & Regnicolarum Querelas, per Diætam proximè publicari appromissam, accomodandas nos quoque sperâssimus. Verùm benignitate & propensione Cæsareo-Regia abutentes, insolentiores effecti, jam tum abundè testati sunt, quām minimè sincerum ad componendos excitatos per se Tumultus adjecerint animum, & quantūm privatum Eorundem Commodum Reipublicæ secu-
 ritati, apud eosdem prævaleat, dum ipsi, ad benignam primævam Cæsa-
 reo-Regiam Resolutionem, non amplius respondere, verùm evolutō Ar-
 mistitij tempore iterū ad Arma prorumpere, & quòd inchoäitus Tracta-
 tus succedere nequierit, tenore certarum Patentium suarum licentioso & effræni calamo promulgatarum, culpam scelesti facinoris sui in suam Majestatem sacratissimam derivare, & odium omne in Augustam Domum Au-
 striacam exonerare præsumperunt; Expost verò factiosō ipsorum Congresu, Rosnaviam accersito, ibidem contra expressas Regni Leges (pro quarum velut prætentivè violatarum redintegratione se Arma sumpsi-
 jactitant) de publicando Generali Regnicolarum Conventu, stabilienda illegali suâ, contra Regiam Majestatem Conspiracyone, ac nostri, velut factionem Eorundem detestantium, nisi jisdem adhæreamus Extermina-
 tionē, Consilia cudere, vigore Patentium ibidem fabricatarum, ac ad nos, & coeteros suæ Majestatis fideles transmissarum, nos, & eosdem, in societatem suam sub diversis Comminationibus pertrahere; Tan-
 dem denique adveniente, illegali Conventui Onodiensi in primam præ-
 teriti Mensis Maij præfixo, ast in 17. ejusdem, extenso Termino, ac Regnicolis partes Eorundem nonnullis quidem spontè, ac ultroneè, pluribus tamen vi & metu coactè sectantibus, prout & nonnullorum Comitatuum Allegatis concurrentibus, & præsentibus, fluctuantemq; Regni statum miserantibus, ac ob id pacificationis Tractatum reassumendum suadenti-
 bus



bus & supplicantibus, & omnibus ferè (præter paucos scelestæ factionis asseclas qui contrario ducerentur affectu) id ipsum anhelantibus, dum præconceptam ipsi Ductores Antesignani, & seditionis Coriphæi vesanam intentionem suam vix successuram & secundandam prævidissent, horrendo sanè & inaudito Exemplo, in Ablegatos Comitatūs & in specie Thurocziensis, aliàs sub salvo Eorundem Conductu constitutos, & qui culpam (si tamen ea dicit possit) Principalium suorum portare non solerent, contra omnia Jura Gentium & præsertim Legum Patriarum Principaliorisque nobilitaris prærogativæ, quæ non citatum, non auditum, nec in persona, nec in bonis lædi, aut damnificari admittit, manifestam prævaricationem, viâ facti & tumultuosè desævire, & quidem ipsimet Infidelium Antesignani, propriâ & impiâ manu Arma stringere, ipsosque dilaniare, & absolutum ac Tyrannicum in Confocios & neutiquam subditos Dominum, in Terrorem cœterorum Regnolarum inducere, taliterque tragicô hòc Exemplô cœteros perculsus & attonitos, liberis alioquin Eorundem votis infavientum Tyrannorum intentionem coäctis & violentatis, Virus suum, quòd haçtenus occultum pectore fovebant, eâ opportunâ occasione evomere, ac ad certarum Conclusionum, seu ut ipsi vocant, Articulorum, jam præviè inter se conclusorum, communibus, uti quidem asserunt, ast præmissâ tragicâ scenâ, & recenti adhuc Tyrannicè dilaniatorum Commembrorum suorum sanguine, tristem & formidabilem memoriam cuvis imprimente, verius coäctis & violentatis suffragijs, præbendum consensum adigere attenterunt, tenore quorum, memorata Infidelium Capita, & Eorundem Antesignani, tantâ verborum licentiâ non solùm in Sacram suæ Majestatis Personam, non attentô eò, quòd præter Hungariæ Regnum, Imperiali quoque, & plurium aliorum Regnorum Regali itidem Diadema Deô propitiô ritè gaudeat, verùm Divos etiam eiusdem Prædecessores, ac Augustam Domum Austriacam, tot Divæ memoriæ glriosorum Imperatorum & Regum aliorumque etiam omnium penè Europæ Principum fœcundam Matrem, injuriosè, scommaticè, & blasphemè, ut vel Æmuli, aut hostes etiam inter se Principes, quia honestatis, Legibus imbuti, ejusmodi verbis injuriosis contendere, dedecus censerent, nedùm subditi erga Dominum reverentia admitteret, despectuosè invehi, legalem Regiam suæ Majestatis sacratissimæ successionem pro Tyrannica in Regium solium obtrusione prætendere, Juramentum ob annexam prout Conventum fuerit, Conditionem præstitum, pro nullo reputare, violentatas propter Eperiesiensem justam in Delinquentes animadversionem Regnolarum voces adstruere, prætensi Augustæ Domûs Austriacæ Tyrannismi (quòd per eosdem Armis lacepsita & impetita ijsdem Arma sua opponere cogatur) continuationem, eidem suæ Majestati exagerare, paternam & privatam sancti STEPHANI Protho-Regis Hungariæ ergà Filium suum Adhortationem ad Successores etiam Reges in forma sententiæ, & absolutæ Legis extenderet, ab omni denique summefatæ suæ Majestatis Regia, & per Eandem totius Augustæ Domûs Austriacæ obedientia & reverentia, omniique Jure, & in sacram Regni coronam ac Regnum aut Regimen prætensione semet liberos & absolutos propriâ suâ temerariè & perfidè sibi vendicata Authoritate pronunciare & declarare, ijsdemq; abrenunciare, & contradicere,

A 2

cere,



cere , taliterque Libertatum ac supremi prætensi Juris ipsorum imagina-
riâ Authoritate , & vigore , nemine cogente , & contradicente , sponte ut
ajunt & liberè Interregnum denunciare & promulgare , ac ut in propria-
etiam viscera & Patriotas suos desæviant , nilque supremæ Tyrannidis in-
ipsis desideretur , Nos , & Coeteros Patriæ Filios , Amicos aliâs & respectivè
Cognatos , Consanguineosque suos , quorum bonis , & amplis facultatibus
ditari , & mamonam iniquitatis corradere cupiunt , nisi à fidelitate , & ob-
sequio suæ Majestati sacratissimæ debito secedamus , & abominandæ Fac-
tioni ipsorum nosmet associoemus , taliterque de virtute in flagitia , &
indelebilem Infidelitatis Notam nos præcipitemus , pro publicis hostibus
declarare , Officijs , & Ecclesiasticis æquè ac sæcularibus Dignitatibus quas
immeriti ambiant , prout & universis bonis nostris in perpetuum prætenso
Fisco Regni applicandis privandos annunciare , & hæc omnia in forma
Constitutionum Regni divulgare , disseminare , adversùs tot contrarias ,
uti paulò post patebit , positivas Regni Leges , cum prostitutione Regiæ
Dignitatis , protervô ausu veriti non fuissent.

Quantum itaque ad modò regnantis Clementissimi Domini nostri Co-
ronationem in Diæta Posoniensi ritu solenni , & legali peractam . In per-
versum sensum detorquent ejusdem Diætæ Typis mandatorum Articu-
lorum præfationi insertam Clauſulam , Coronari faceremus , quasi verò ea-
dem ex absoluta potentia , & vi facta fuisset ; Testimonium siquidem per-
hibere poterunt universi ejusdem Diætæ Conſcij , sed nec moderni Con-
tradicentes negare possunt , per Nos , præfati Regni Hungariae Palatinum ,
cujus id Officij erat , Ternis vicibus Regnicolas clarâ voce admonitos ,
utrûm nimirum , Serenissimum Principem Dominum JOSEPHUM pri-
mum , Serenissimi Principis Domini LEOPOLDI Imperatoris & Regis
primogenitum , pro legitimo Rege eligere & coronare cuperent , unanimi
Votô & acclamatione eorundem consensum præbentibus , tandem ad
Coronationem processum fuisse , verba proinde Præfationi Articulorum
inserta ; Coronari faceremus , itâ intelligenda venire , ut præmissis de jure
præmittendis , & observatis observandis , suô legitimô modô & ordine ,
Divus olim LEOPOLDUS Imperator & Rex modernam suam Majesta-
tem sacratissimam , velut Primogenitum suum , & in Regia Dignitate Suc-
cessorem coronari fecerit . Conditionatum pariter Juramentum & Clau-
ſulam , prout Diætaliter , Regio ac communi Statuum consensu , super in-
tellectu Jurium & consuetudinum conventum fuerit , jam antehac ex ge-
nuina Cæſareo Regiâ interpretatione cum satisfactione suorum fidelium
facta , per laudabilem Mediationem modernis infidelibus explanatam esse ,
utpotè Conditionem illam , non ita intelligendam quasi omnes Leges li-
bertates Privilegia , & Jura Regni in dubium trahenda sint , & in dubium
traetis , diversus aliquis sensus , & usus suggeratur , undè nova Regiminis
forma timenda foret ; Sed id solùm eâ clauſulâ innui , quòd si qui Articuli
non satis clari comperiantur , nec adhuc distincte explicari potuerunt , illi
in futura Diæta Regio , ac communi statuum consensu elucidentur . Cùm
alioquin etiam vigore Constitutionum , & signanter Articuli 21. 1548. item
10. & 11. 1550. ac 30. 1563. Annorum , ac aliarum passim , Legum Regni in
ordinem redactionem Status & ordines supplicâſſent & determinassent .
Vanam præterea , & nefariam movent Quæſtionem de Hæreditate & suc-
cessione Regia , quasi verò hæc noviter sub Diæta duntaxat Posoniensi ,
&

& quidem per Eperiesiensem Executionem violentatis & extortis vocibus obtrusa esse dignosceretur, siquidem allegata etiam ab adverso S. Regis STEPHANI, ad Filium suum S. EMERICUM privata Paterna Adhortatio, ubi Regnum Hungariæ Regnum Tuum seù Ipsius esse, & alio ejusdem Decretorum Lib. 1. Cap. 6. repetit: Regnum Tuum & Coronam Tuam quamvis necdum Electi vel Coronati esse asseruit; Testimoniumque per hoc ad Posterios transmisit, Regnum Hungariæ in vita Patris etiam liberorum esse. Quod ipsum etiam ex Articulo 12. Anni 1439. dum Regina Elisabet Regni hujus Hæres, per expressum nominaretur, appareret; sed & continua Regum, in Liberis suis successio, & superexistente Regio semine vel in cunis etiam usu recepta, adeoque vim Legis imbuens, in Regum Inauguratione consuetudo, priscis quoque temporibus semini Regio, Ladislao etiam Posthumo successionem stabilivit, quam Antenati quoque nostri Regnicolæ, Articulo 5. Anni 1547. non obscurè agnoscunt, dum Maximilianum Archiducem Filium Ferdinandi Primi Imperatoris & Regis Hungariæ, uti Dominum suum in medium sui mittendum supplicant, auditò quòd se se status & ordines, non solùm suæ Majestati Regiæ, sed etiam suorum hæredum Imperio & potestati in omne tempus subdiderint. Non secùs Anni 1550. Articulis 3. 4. 5. & 6. Gratias referunt Regiæ Majestati, quòd per Serenissimos Liberos suos administranda Reipublicæ incumbere velit. Porro Articulus 1. Anni 1485. per expressum indigitat, Electionem Regis locum non habere, durante semine Regio; alij vero Uladislai Regis Decreti 1. 107. & 3. 45. Articuli, durante itidem semine Regio, Interregnum dari & admitti, consequenter pronunciari & publicari nequire, per expressum innuunt; Ex quibus legitimè deduci, etiamsì impugnata ab adverso Verba Coronari faceremus, seclusâ omni justâ interpretatione superius declaratâ, simpliciter, uti sonant, sumenda forent; modò regnantem tamen suam Majestatem, velut legitimum desideratissimi condam Genitoris sui Filium & hæredem Regium, virtute prærecensitarum Regni Legum legitimè coronari facere potuisse, justæ sequelæ foret. Violentata etiam prætensivè sub eadem Diæta vota perperam objici; Non enim speciem extorsionis & illatæ vis inducit vindicativæ justitiæ Administratio; Et quòd Eperiessini contrà non nullos necdum sopiae eotùm, adhuc Perduellionis suspectos & Complices, coincidenter pro tempore illo delatos, & convictos, ne iterum seditiones reviviscere, & in novum (quemadmodùm præsens esset.) Incendum erumpere valeant contigisset, exinde nullam Diætæ Posoniensi vim illatam fuisse adeo non inferri posse, ut potius propterea contrarium colligi debeat, quòd durante Diætâ, Sacratissima Majestas gloriosissimæ memoriæ, Serenissimi Neo-Coronati Regis interpellationi, demissæque Statuum, & Ordinum Regni Instantiæ clementissimè dederit, ut Eperiessensis Commissio aboleretur, & qui, tum adhuc Captivi detinebantur, ex Arresto dimitterentur, prout etiam ex Articulo 6. ejusdem Diætæ patet: violentata verò fuisse vota indubium esset, si Regnicolæ, & Comitatuum Ablegati ad Diætam vocati, & salvo de Jure Gentium Conductu muniti, vel exaudiri non meruissent, vel Querulantes nullōjuris ordine servatô, non citati, non audit, impetuose ad supplicia tracti, & crudelissimâ morte, terribile, ac horrendum Coeterorum Coable-gatorum in Exemplum, ac terrorem multati extitissent, quod in illegali, & Legibus Regni aliunde vetito Onodiensi Conventiculo, inaudito inter Chri-



Christianos etiam Principes , respectu subditorum suorum , multò minùs inter Compares Exemplo , in duobus Comitatūs Thurocziensis vetus & Nobilitatis Ablegatis, tumultuosè & Tyrannicè ut præmissum est , accidisse, tristis luget & condolet eorundem Cognatio ; Advertet facilè sensatus quilibet , an non funestō hoc casu , cœteri Regnicolæ ipsorum Assclæ perculsi , nolentes , volentes , in seditiosorum Capitum molimina , & sententiam abire votaque impiæ intentioni ipsorum conformare coacti sint. Allegatam porrò Cæsareo - Regiorum Armorum in Hungaria eotūm ferventis utique contrà Christiani nominis hostem Turcam continuati Belli ratione id exposcente , copiosiori numero existentiam , nihil ad violentanda sub Diæta Posonensi Regnicolarum vota , operatam demonstrari potest , adeoque nec ad eandem Diætam , ideò , quod violenter extorta esse dicatur , tollendam , simplicia verba sufficere ; Nam si ex eò , quod ex præmissa communi Christianitatis causa , tempore Diætæ , Arma Cæsarea in Regno fuerint , tollendam Diætam moderni Infideles prætendunt , luculentum ad rescindendas potius Pacificationes Boczkaianam & Bethlehemianam , ac etiam Rakoczianam , subsequentesque superinde Diætas , infestis sanè seditiosorum & diversarum Gentium , Barbarorumque Armis , vicinas etiam Provincias vastantibus , à Rege , & cœteris fidelibus Regnicolis extortas , ipsimet contrà se præbent Argumentum , & suo se telo jugulare , ac suæ Majestati sacratissimæ , & ejusdem Fidelibus ad tempora illa & præmissas nimirùm Pacificationes , & Diætas præcedentium , Annorum Gubernacula redeundum , viam monstrare videntur. Hic detestandæ eorundem Ambitionis fructus , & ut charam Patriam majoribus involvant discriminibus , & belli fomitem exagitent , Interregnum , quod præcitatis ac alijs Regni Legibus , utpotè Articulis 2. 1655. iterum 2. 1647. & 3. 1625. pro perniciose semper agnatum , veri quidem Patriæ filij sollicitè antevertere studebant , moderni autem , libertatum prætensi Afferentes , verius tamen earundem Eversores , & Patriæ Deprædatores , ut semet tales factō etiam contestentur , & effræni cupiditati suæ omnia audiendi indulgeant , fastuosè , & pertinaciter pronunciare , ac despoticō Imperiō suō , subjugatis sibi adhærentibus antehac Consocijs , jam vasallis , horum quoque nomine publicare , seditiosâ Conspiracyone , partæ Authoritati suæ integrum esse deprædicant. Cùm tamen Protho-Rex S. STEPHANUS , cuius Decreta in favorem suum , hi Infideles citare videntur , Decretorum suorum Lib. 2. Cap. 51. Conspiracyones contrà Regem , & Reginam detestatus , sub anathemate , & Lege Julia severissimè vetaret ; Quam primavam Legem ad universas domesticas quoque Ligas & Confœderationes , inter Regnicolas , fide mediante , vel aliter qualitercunque factas , & ex Conspiracyone emergentes , velut Reipublicæ perniciofas extensam , subsequentes etiam Regni Leges , signanter verò Articulus 5. Anni 1446. & 44. Anni 1519. Articulus verò 40. Anni 1536. sub poena perpetuæ Infidelitatis , inhibit , ex quibus utpote Conspiracyibus , & Confœderationibus Lege etiam Patriæ districtim prohibitis , enatas quoque seditiosè conclusas quasvis Constitutiones , velut ex virulento fonte promanantes , ac has inter , exitiosi Interregni Declarationem suapte corruere , evidentis foret consequentiæ. Accedente cù quoque validissimâ ratione , quod velut

Gene-

Generalem Conventum, seu Diætam indicere, de continua Regni praxi & consuetudine, solius Regiæ Authoritatis foret, ita universos, secùs, & præter scitum, ac benignam Annuentiam Regiam privatâ cujusvis, multò magis ex damnatis seditionibus vendicatâ authoritate indictos, Articulus 17. Anni 1526. vanos & irritos declararet; Pro quali novissimus Infidelium Onodiensis Conventus, ibidemque universa eorundem Acta & facta reputanda venirent, præsertim potiore & saniore, officijsque & Dignitatibus, ac Familiarum etiam celebritate fidelium Statuum & Ordinum Regni (uti ex annexo Cathalogo apparet) numero, confusæ Infidelium multitudo, ad mentem etiam Tit: 2. Partis 3. Oper. Decr. Tripartiti, longè præferendo, & prævalente, in eundem illegalem Conventum non consentiente, quinpotius inauditâ præmissâ Infidelium sacrilegâ in Regem, & Dominum suum clementissimum temeritate, contrâ omnia ipsorum acta, & ejusmodi pernitosam Interregni Declarationem, coram sua sacratissima Majestate, legitimo utpotè Rege & Domino ipsorum clementissimo, solenniter contradicente, & protestante. Et verò universas Columnas & Barones Regni, nemine excepto, potioresque Dominos Prælatos ac Magistrates, & supremos Comitatuum Comites, non secùs quamplurimos Nobiles, ac etiam Cives debitam suæ Majestati fidelitatem laudabiliter sequi, prout aliunde in comperto esset ità Augusta suæ Majestatis sacratissimæ Aula experitur. Et vel ob id memorati Infideles, jam non solùm Bona nostra utpotè Fidelium, quorum amplis redditibus & Proventibus, ac spolijs, hactenus iniquè ditati sunt, coëcâ ulteriùs etiam dominandi cupidine stimulati, præter omne Jus & æquum occupare, sed Officia etiam, & Dignitates nostras, indignè adimere, & ad prætensum Fiscum Regni, rectius autem suam libidinem adimplendam, applicare, virtute prætensi Onodiensis Articuli statuissent; Cùm tamen Statuta quæcunque, nisi in aliqua Lege fundentur, aut ad Legem conformiter fiant, suaptè nullius sunt vigoris. Legem autem superindè, prout nec citârunt, ità nec reperire possunt, quâ fidelium Officia, Dignitates & Bona, Regi, & Regno infideles adimere possint, nisi violenter & Tyrannice procedendo; contrarias tamen reperiissent, hi præclari, ut ajunt, Legum Custodes, si profundiùs easdem inspexissent, ex quibus, prout suprà allegatis, ità etiam constitutionum Posoniensium Articulo 7. Anni 1542. constat, similium, abominandam, & execrandam Notam Infidelitatis incurrentium, & resipiscere nolentium Bona, per Fiscum Regium occupari, eaque divedi, & damnificatis fidelibus expretio talium Bonorum refusionem fieri, residua verò ad necessitates Regni applicari posse & debere. Et quemadmodùm universa in Regno Hungariæ, Officia, Dignitates, & honores, (excepto Palatinatu, cuius Electio etiam ad Regnicolas pertinet) solius Regiæ Majestatis est conferre, ita, si quis, prout ipsi Infideles, honore aliquo, aut Officiô privandus esset, pariter soli Regiæ Majestati, à qua nempe Collatio eorundem procedit, competere potest; Ac proindè mentionatum illegalem illum nonnullorum Infidelium, potissimum verò per ipsorum Capita, Authores, Antesignanos, concitum Onodiensem Conventum, & consequenter ibidem Acta facta, & conclusa, aliundè, uti ex præcitatis Legibus demonstratum est, per se, ipso facto, nulla, irrita, & invigorosa tenore harum nos quoque annulamus, mortificamus, & pro irris

tis



tis & invalidis pronunciamus, præattactaque modernorum tumultuum & seditionum Capita, Authores quippe & Antesignanos, ac universos ijsdem sponte adhærentes, cuiusvis statūs & Conditionis pro Infidelibus legali pœnæ obnoxijis, ac vel ob præsumptam tot Regni Articulis damnatam, & publicæ quieti perniciosa Interregni Publicationem, ac Regnicolarum, in eas, quas Interregni tempora secum trahere solent, Calamitates, spontaneam præcipitationem, pro Patriæ hostibus reputamus, ac tenore hujus scripti, palam, & publicè pronunciamus. Ac nos prout in homagiæ fidelitate benemoratae suæ sacratissimæ Majestati, legitimo utpotè Regi, & naturali Domino, Domino nostro Clementissimo, ac sacro ejusdem Regio Diademati debita, constanter perseveraturos, ita neminem alium, futuris quoque semper temporibus, ad ultimum usque ejusdem Majestatis Vitæ Terminum (quem DEUS in sero, & longævos Annos differre dignet) pro immediato, verò & legitimo Rege, & Domino clementissimo, devoti animi cum submissione recognituros, & hanc devotionem nostram etiam cum profusione sanguinis contestaturos declaramus; Nulli ambigentes, quin potius nihil eō certius habentes, quam quod prælibata sua Majestas sacratissima, Nos, ac universos status & ordines Regni in cunctis & communibus avitis Juribus, Privilegijs, Libertatibusque & Legibus, secundum benigni Diplomatis sui, ac Articuli quarti, Novissimæ Diætæ Posoniensis tenorem, in omne tempus Regalium suorum sceptrorum pienissime manutentura sit, & indemnes conservatura. Datum in Archiducali Civitate Viennae Austræ die 20. Mensis Augusti Anno Domini 1707.

Paulus Estoras.



Nicolaus Iefzenszky.

